

402 CASP. BARTHOL. l. 3.

—Cum jam *Mavortia* contra
Cornua, jam *sævos* fragor *æreus*
excitat enses.

Fuere verò reflexa ex ære recurvo, in quem finem *Vegetius* lib. 2. cap. 8. *Tubicines*, inquit, *Cornicines*, *Buccinatores*: qui vel *tuba*, vel *ære recurvo*, vel *Buccina* committere prælium solent. Ubi distinctè quid inter singula hæc instrumenta fuerit differentia apparet, unde *σροχύλη σάλπιξι σαλπίζει*, *inflexa tuba canere*, apud *Artemidorum*, de Cornu ex ære recurvo accipiendum est, qualia non raro in veterum monumentis occurrunt hac forma, ut in *Columna Trajana* num. 56. sed illud *Tubæ* adjunctum, quod specie hastæ, spicula lata habentis, *Ciacconio* imposuit, ex animadversione *Jo. Petr. Bellorii*, alii usui inserviebat, nimirum ut facilius pondus instrumenti sustinerent, & commodius incinerent, quemadmodum in aliis locis expressius videtur, & præcipuè num. 84. Ejusdem rei non obscura vestigia deprehendo